



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687

Benedictio ignis in Sabbatho sancto missali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

Benedictio ad quodcunquè comestibile.

V. Adjutorium nostrum in nomine domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano : Et præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicumquè ex ea sumpserint, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Dein aspergat aqua benedicta.

Benedictio Vini in festo S. Joannis Evangelistæ.

V. Adjutorium nostrum &c. R. Qui fecit &c.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui te vitem veram, & apostolos tuos palmites appellari, deq; omnibus te diligentibus vineam electam plantare voluisti, bene * dic hoc vinum, eiq; virtutem tuæ bene * dictionis infunde, ut quicumque ob honorem & memoriam dilectissimi discipuli tui Joannis, cujus hodiernâ festiuitate lætamur, ex eo sumpserint, vel biberint, morbis & venenis pestiferis effugatis optatam sanitatem, atque salutem corporis & animæ consequantur. Qui vivis &c.

Oremus.

Deus qui humano generi panem in cibum, & vinum in potum procreasti, ut panis corpus confortaret, & vinum cor hominis lætificaret : quicumquè beato Joanni discipulo tuo tantam gratiam contulisti, ut non solum ab haustu veneni illæsus evaderet, sed etiam in tua virtute veneno prostratos à morte resuscitaret, præsta omnibus hoc vinum bibentibus, ut spiritualem cordis lætitiâ, & vitam æternam consequi mereantur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis pa * tris & Fi * lij, & Spiritus * sancti, descendat super hanc creaturam vini, ut sit omnibus ex ea sumentibus remedium contra periculum corporis & animæ, & præguftatio ad vitam æternam.

R. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

Benedictiones peregrinorum ante & post reditum, sicut & olei simplicis : & illas, quæ Episcopos tantum concernunt, studio omisimus. Quod si potestatem quis habeat eas usurpandi, in Missali vel rituali Romano requirat.

DE

EXORCIZANDIS OBSESSIS
A DÆMONIO.

Sacerdos, seu quivis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, eâ, quâ par est, pietate, prudentiâ, & vitæ integritate præditus sit : qui non suâ, sed divinâ fretus virtute,